

6. 42/17.

II c
1590^a

X1861213

ACTIO
INJURIARUM
NASI,
contra
PODICEM.

Schvveinfurti,
Sumptibus Pompeji Pordæi
Prostat ad fellas Proculianas.


8

UNIVERSITÄT
HALLE
(SAALE)
BIBLIOTHEK

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

30





Eodem anno, quo liticula reliquo corpore cum ventre intercedebat, illius appendici quâ sedere solemus, etiam maximam invidiam movere reliqua membra. Convenit igitur diem ignavæ huic parti ad tribunal bonæ mentis dicere. Intercedebant privatæ quædam inimicitia naso cum podice, quod hic sæpe, non sine magna injuria ejus ventrem cum sono exoneraverat, interdum malè succedente silentio secretius. Itaque nasus hoc sibi negotium dari postulans accusatoris partes in se recepit. Venerat dies vadimonii, quem Cloacinæ Veneri sacrum majores fecerant, & exorata dicendi venia actor, Quamvis citò, inquit, obsolescat gloria in sordidis hostibus, indignitas tamen rei facit, ut publicam causam etiam adversus impurum suscipere non dubitaverim. Quid enim iniquius, quam esse aliquem in republica nostra civem, qui reliquorum labore alatur, crescat, pingvescat, ipse autem segni otio diffluens præter turpe, brutum & infaustum nomen nihil in censum deterat? Stare oculos in specula viæ exploratores, operumque diuturnorum lampada. Prægu斯塔re se cibos palato placituros, geminosque canales pandere respirationi, & si quod deliquium cerebro accidat, odores transmittere salutes. Ipsum os cum interprete lingua præconem agere, mentis decreta enunciare, opem rogare, stipem petere, & nihil reliquum facere, quod ad implendas boni civis partes pertinere videatur. Subsidiariam oculis in cavendis periculis præbere

bere aures operam, ad omnem strepitum intentas, ne quod i
 respublica damni patiatur. Manus verò quærendis commo-
 dis, propulsandis injuriis ita ad summam lassitudinem occupari,
 ut in his præcipua spes boni publici reposita non immerito
 videatur. Sic pedes, sic reliquum corpus in quodiano officio
 esse, nec aliquod tam inutile aut deses in toto corpore mem-
 brum, quod non Symbolam suam ad salutem publicæ felicitatis
 conferat. Tu verò (ita satis accusatoriè reum compella-
 bat) quid habes, quod his opponere, ne dicam oppedere pos-
 sis? O verè.

*Monstrum horrendum, informe,
 Ingens, cui lumen ademtum.*

Subsidis nempe inertis fagina, ac inter Acrocera unica tua
 turpem exhalas mephitim. Vah pudet dicere, quoties Thersites
 ille proceribus nobis obsceno guttore oblocutus sit, quoties
 verecundiæ gravis fuerit, quoties bonam famam exploserit.
 Sed malo hæc bonæ causæ præjudicio tacere, quàm pudoris
 loqui. Istud saltem dico, indignum non mihi modo, sed & re-
 liquis ordinibus videri, qui posthac ex æratio publico alatur.
 Ejiciendum esse inutilem, aut saltem alimentorum subtractione
 ad majorem modestiam redigendum. Ita quidem numero
 nasus.

Postquam verò ani annutu, Mentis copia respondendi
 facta, ille clara tussi asperitatem faucium obiter excutiens ex
 Rhetorum disciplina suppressa primum altius voce ita ordie-
 batur;

Verba innocenti reperire facile est, modum verborum
 tenere difficile, cujus vocem simul & silentium abominatur
 iniquissimus actor, qui extrema orationis parte etiam senten-
 tiam contra me pronunciare, poenam velut ex tribunali dicta-

re flo-

re stolidissimè ausus est. Quantum autem imperitus fori sermonem sequi possum, otium imprimis objecit & pædorem, quibus convicia quædam maledicentiam auctoris sui testantia intersperfit. Quod ad otii calumniam spectat, tantum abest, ut probare causam æquo iudici adversarius possit, ut potius in manifesto mendacio deprehendi facillimè queat. Neque enim si oculi, si manus, si pedes suis quisque laboribus funguntur, ideò ego desideo torpore inutili, nisi quis fortè & supervacanea velit dicere fundamenta, quæ totum ædificium sustinent, ac otiosas columnas, trabes, fulcra, quæ oneribus ferendis serviunt. Ego verò sive sedere placeat, sive eqvo vehi pulpam substerno meam, ut mollius reliqua moles recumbere possit, & ephippii naturalis vicem præsto. Quin usque adeò sanguinem hanc impunè non possideo, ut de illa potius satisfaciam, si quid reliqua membra peccavere. Sive lingua procuratius se gessit, sive manus quid deliquere, ego innocens plector, & tam barbarâ feracitate succedaneæ nates caduntur, quasi illarum opere damnum datum sit. Et sic quoque vel hoc nomine grave tributum dependo, pro impensis illis, quibus commune ærarium exhaurire. Dicor arrogans quoque, quod caput sibi quasi monopolium quoddam sapientiæ usurpet. Neque enim usque adeò obtusa pectora gero, ut nihil in me consilii & rationis sit. Vah quoties stulta phantasia deliro capiti cloacas fingit, in somno matulas pingit. Ni prudentior ego imperium detractarem, scilicet Ennianum illud propudium turpi abortu nasceretur, unde Virgilius aurum suum colligere se prædicabat.

Sed venio jam ad locum sordium, quas ineptulus illè mihi objecit, qui ipse pituitosi cerebri excrementa geminis canalibus educit, turpius resorbet, latrina capitis, superiorumque partium sentina. Et possem hic quidem Claudii Imperatoris privilegio me tueri, nisi mallet beneficium istud Naturæ debere. Aut si recriminari vellem, ostenderem, os, oculos, aures

(3) 0 (3)

uis quemque sordibus laborare, nec esse ullum in toto corpore foramen, ex quo non purgamenta humorum exsudent. Verissimè certè quidam Carminum figulus quondam latrinæ suæ inscripsit:

Urina, & Stercus, mucus, lachryma atque saliva

*Corpore ab humano, quæ data porta fluunt.
Excolitur magna tamen ambitione pudenda,
Ara Cloacina Stercutique Jovis.*


*Sic placet in medio sibimet scarabeus oieto,
O quàm ridiculè stulte superbis homo!*

Quod usque adeò verum est, ut si casu quodam corpus perforetur, statim purulentus cum sanie foetor erumpat. Iniquissimum ergo, meum solius crimen fieri, quod omnium est. Imò ne hîc quidem meæ spontis sum. Fluxum hunc sisto & transitum nego erupturæ sordibus, & statim intestino murmure venter tumultuatur, lingua neglecti officii accusat, tandemque purgationibus, suppositoriis, clysteribus via aperitur, hisque arcebus expugnatae fores assulatim disiliunt. Quid ergo faciendum mihi, si & cum egero, fastidiosior, & cum contineo accusor? Cæterum si egesisse culpa est, oris ingluvies cum pocillatore naso accusanda erit. Nisi enim tantum ciborum tuburcinando illud ingereret, sentina minus gravaretur, minus oleret. Istud verò plene non ferendum, quod spurcissimus nasus nescio quid ultra Vestalium sanctimoniam mentiri videtur. Hæ enim cum pudoris sui adeo servantes essent, ut compressis labiis Deam salutarent, ne occurrentis sororis istius religionem incestaret, auspicia turbaret, tamen 17. Cal. Julii quotan-

quotannis ex ædē Vestæ retrimenta ciborum egerendā curā
 bant. Quid Ægyptios loquar, mortalium prudentissimos,
 qui quid de sono meo iudicarint, vix audeo dicere. Sed non
 sonum adē, inquis, quam graveolentiam accuso. Quasi verò
 & tuæ sordes spirent de messe Sæbæa. Et qui possum suavi-
 ora reddere, quam accipio. Cæpas, allium, raphanos, garum,
 muriam, haleces, raneidos caseos, & quid non impotens gula
 præcipitat, ex quibus nisi pastillos & opobalsamum conficio,
 pessimè audio. Denique quicquid illud mali odoris est, hoc
 ego non facio, sed per posticam cum murmure indignabun-
 dus ejicio. Corrumpuntur putredine intra ipsa viscera ingesti
 cibi, & vitium trahunt in intestinis. Testor ipsum os, quod
 non raro vicariam mihi operam præstat, quoties ventricu-
 lus semesos cibos per pseudothyrum istud rejicit. Quid quod
 non alieno modo, sed suo etiam ex carvernosissimis dentium
 rudibus foetore idem multos in fugam conjiciat. Et tamen
 osculis colitur ille, ego conviciis. Hercules cum semel Au-
 giæ stabulum purgasset, in Deorum numerum est relatus: ego,
 qui eum quotidianis sordibus confictor devotus & execrabilis,
 habeor. Sed thure placandus mihi renustulus natus atque a-
 cerra, qui odio suo publicæ causæ calumniam imponit. Quid
 enim odor meus ad oculos, aures, os, manus, pedes? qui
 quid fiat plerique nec intelligunt quidem, nisi tu ex specula
 tua rem renuntiares. Tu nimirum hoc solum muneris tui
 usurpas, ut dijudicandis odoribus arbiter pendeas potius quam
 sedes, foetores ad tribunal non minus sordidum voces at-
 que censuram. Enim verò absque me si esset, ne hoc quidem
 officio satisfacere posses, nisi velis inaudita altera parte senten-
 tiam præcipitare. Nemo boni odoris fragrantiam intelligit,
 qui mali molestiam ignorat, ut ne dicam, plus opis ad sanitatem
 sæpè in hoc altero esse. Norunt foeminae hystericis doloribus
 laborantes. Multos contra rosæ & ambra odor in deliquium
 animi conjecit. Multi quem alii sectantur odorem, fugiunt.

Eos.

AM Te 1590




Et eos, qui ad beata Arabum littora accedunt; cornua combu-
re, sentiam movere ajunt, ne ipsa odorum suavitate in pe-
riculum sanitatis veniant. Denique si usque adeo inutilis o-
pera mea, desino malis & ingratis benefacere. Cedo meo
muneri. Regurgitent post hac, per me sane licet, per ipsas
fauces excrementa, perque os & nares fimetum illud erumpat.
Alium sibi respublica minore stipendio conducat, qui tam for-
dido, & invidioso tamen muneri operam elocet. Hæc ille
iratus focillantibus buccis, horrida & plusquam centum ramo-
rum voce perorabat.

Exceptit deinde orationem, ingens silentium, nec minor
expectatio omnibus in judicis urnam intentis. Is autem de-
nique ex tribunali suo secundum reum sententiam pronuncia-
bat placidaque oratione monebat, ut colerent pacem, nec al-
ter in alterius morbos malignius inquireret. Ita salvam fore
civitatem, si dissimulatione mutua communia tegerent vitia &
tolerarent. Ne vero impune ferret temerarius litigator pro-
cacitatem suam, jussus, quoties ille alter manubias suas sub præ-
cone venderet, ad hastam stare & plaudere.

Ita nempe placuit exemplo maximorum virorum, quibus
jocosior Musa dividiæ nunquam fuit, fuliginem mentis quotidi-
anis ferè molestiis collectam abstergere.

*Heic ego vero male prurientem
Deprecor nasum: liceat severas
Quæso nonnunquam tamen innocenter
Ludere Musas*



1077

21



